

APPROBATIO.

OMV M hunc primum , cui titulus præfixus est : Apologia pro doctrina sancti Thomæ Aquinatis , Ecclesiæ Sanctæ Doctoris Angelici , Auctore Fr. Ioanne Biescas Ordinis Prædicatorum , in sacra Theologia Magistro , & eiusdem sanctæ facultatis in Oscensium Academia primario Professore emerito . Ex cōmissione , & mandato Excellen. Domini D. Ferdinandi de Borja , Commendatori j maioris de Montessa , à Cubiculo Regis , & huius Aragoniæ Regni Proregis , haud oscitanter per legi , decurri , & examinaui diligenter . In quo nō solū affirmo , nihil cōtineri , quod , vel orthodoxæ fidei , vel bonis moribus sit , modo aliquo aduersum , sed constanter teneo eum esse magnopere necessarium , non tantum Angelici præceptoris discipulis , sed cunctis etiam Theologiæ Professoribus . Mirum namq; est , quanta cum ingenij dexteritate , & claritate (quæ innata est huic eximio Auctori) se se Diuī Thomæ exp̄ositorem , & propugnatorem præbeat , & quanta cum facilitate difficillimas Theologiæ questio-nes declarat , quantaq; cum modestia , & suam sententiam proferat , & contrarias impugnet , ut moris fuit Angelico præceptorī . Qua propter si in publicam lucem prodeat , omni ex parte omnibus per utilem fore , iudico . Dat. in hoc Prædicatorum Cæsaraugustano Conuentu , die 25. Maij , Anno 1634.

Fr. Raymundus Saenz Magister ,
Prior , & rerum fidei Censor .

APPROBATIO.

VBENTE Illustri Admodum Doctore Stephano Esmir , pro Capitulo Sede vacante in Cæsaraugustano Archiepiscopatu Vicario Generali , Tomum primum *Apologia pro doctrina sancti Thomæ* , Auctore Reuerendo Patre Magistro Fr. Ioanne Biescas , in Sertoriana Oscensium Academia Primario interprete iam emerito , legi . Vidi , quæ iam in disputationibus ab ipso audiui , mira claritate , & eruditione omnibus patefacta , disputata . Vidi sanas Ecclesiæ , & Sanctorum doctrinarum intelligentias . Vidi virum iuxta Angelici Doctoris cor . Vidi dignum eius discipulum , qui tantum Doctorem , vt Magistrum proponat sequendum , no-lens trahere illum ad se , sed volens trahi ab illo . Vtile sanè opus , vt typis mandetur , & in communem prodeat utilitatem . Vtile , ac delectabile opus , per tot annos elaboratum , atq; eructatum , ad perpetuam tanti viri memoriam , etiam si lamentabili rapiatur morte . Opus tandem commodum , vt Theologus possit veritate in edocere , & eos , qui contradicunt , arguere . Cæsaraugustæ in Conuentu S. Patris nostri Augustini 27. Maij , Anno 1634.

Fr. Bartholomæus de Foncalda Magister ,
& in Vniuersit. Cæsaraug. Theologiæ Professor .

Imprimatur.
Doctor Stephanus Esmir ,
Vicarius Generalis .

APPRO.